



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Fornicatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

De fornicatione.

T I T. XXI.

Fornicatio *simplex* (à fornicibus, id est, concameratis cellis, sub quibus Romæ Meretrices omnibus expositæ habitare consueverant, dicta) est omnis coitus illegitimus cum meretricibus & aliis. *c. lex illa, §. fornicatio. 36. qu. 1.*

Meretrix dicitur, quæ multorum libidini patet. *c. 16. vidua est. dist. 36. c. meretrices. 32. qu. 4.* quæ palam quæstum corporis sui facit.

Palàm quæstum dicitur facere non solum quæ in lupanari se prostituit; verum etiam quæ in taberna, caupona, vel quâ aliâ pudori suo non parcit.

Vetatur *simplex fornicatio*; *c. predicandum. 22. qu. 2. c. in eo fornicator. 11. 12. c. meretrices. 11. 32. qu. 4. c. aliter. 30. qu. 5. c. adulteri. 32. qu. 7.* sed ejus pœna, tam quoad pœnitentiæ modum, quàm alia, est arbitraria; *Lancell. in Instit. jur. Canon. tit. de adult. §. fin.* in laïco puta: in Clerico; si post primam, secundam, tertiam admonitionem, cum fœmina, de qua fornicationis criminis est suspectus, inveniatur fabulari, & cum ea conversari, excommunicatur; *c. si quisquam. 2. de cohab. cleric. & mul.* si monitus à focaria non abstineat, ab Ecclesiasticis beneficiis, usque ad satisfactionem, suspenditur; *c. sicut. 4. eod. c. si autem Clerici. 6. eod. c. ut Clericorum. 13. de vita & honest. Cler.* si suspensus eam retineat, perpetuò ab officio removetur. *d. c. si autem Clerici. 6. & can. Maximianus. 6. dist. 81.*